



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Marcella Vidua. 31. Ianuarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

jam telam in sindones nuptiales offerret, eâ Neophytos illa vestiit: mox à morte matris, concubiâ nocte, ad suas nuptias in eremum, evolavit, castoq̄ue flammeo ab Amando Episcopo (quem magno post coruscum splendore cælo inter Cælites vidit subire) involuta est. Cæterum quo die nova nupta dotem suam, vel in templa vel pauperes dispertivit, etiam has nuptias probaturum Numen aquam bibenti in vinum vertit. Sed illa, ut pulchriorem se sponso suo probaret, multis precibus carcinoma, velut formæ pigmentum, à cælo extorsit. Ultimùm ægra cum è manu D. Petri manna gustasset, nauseavit abhinc omnes humanos cibos. Eò igitur à Cælitibus adventantibus, & inter hos augustissima cæli REGINA deducta est, ubi illis delitiis quotidie frueretur. *Ex Surio & Lippeloo.*

*Expergiscere ô homo & dignitatem tuam cognosce naturam; recordare te factum ad Imaginem Dei; utere quomodo utendum est visibilibus creaturis, & quidquid in eis pulchrum & mirabile est, refer ad laudem & gloriam Conditoris. S. Leo serm. 7. de Nat.*

S. MARCELLA VIDUA. 31. Ianuarii.

**C**Horum in Januario claudat mulier, sed quæ virtute vitæque constantiâ certare & invidiam facere viris possit, quamque sanctior Roma profanæ illi unicam contra omnes Heroïdes possit opponere. MARCELLA est Romani sanguinis, & patricii matrona, eodẽ anno, quo nupta, etiam vidua, exhorruit deinceps tam mortalibus nubere. Nec tamen mater non fuit. Certè filios multos numeravit, quamvis pauperes. In hos prodiga ex auro, & fortunis omnibus unum sibi reliquum annulum

annulum fecit. Domo pedem aut nunquam, aut in templum extulit. Religiosæ vitæ viam suo in sexu princeps prævit Romanis; tam illustre exemplum innumerâ exinde multitudine sequente. Porrò precibus assiduè vacabat; vestitu utebatur modesto admodum; corpus perquàm duriter habebat, tota in divinis commentandis. Irrumpentem, qui Romam obsederat, hostem, imperterrita domo suâ accepit, verberaque ac flagra Spartanâ tulit nobilitate, id unum sollicita, quâ virginis Principiæ, quam secum habebat, pudori consuleret. Is ubi extra periculum jam steterit, lubens ac volens imò læta à militibus ad D. Pauli abduci se passa est. Ibi paucos post dies mortem, quam cæteroquin viri etiam horrent, femina risu excepit. *Ex S. Hier.*

*Quando te à lectione rerum spiritualium abhorreere videris, admonitionesque spirituales fastidire, tum animam tuam in gravem morbum incidisse noveris. B. Ephrem t. i. con. de vita spirituali.*